

1. Reg. c. 16.

Osiand. in
comm. h. l.

E. potest & debet quædam apud quosdam dissimulare seu occultare. Major sua radiat luce, magis tamen illustratur exemplis in sacro codice contentis & supra allegatis: Vulgatissimum sed & certissimum est, quod adducunt *Samuelis*. Is in mandatis accepit, ut impleat cornu oleo & in filiis Isai aliquem ungat in Regem. Metuit autem Samuel, & quando vadam, inquit, audiet enim Saul, & interficiet me; Cui Dominus respondit, vitulum de armento tolles manu tua, & dices, immolandum Domino veni. Certè adventus causa erat unctio Davidis, quam ut tegeret, non permittit, sed mandat, Dominus, ut prætexat aliam, non mendacium sed *dissimulatam veritatem*; Hanc verbis enunciat, illam animo retinet: Nec ullum fore tam absurdum existimamus, qui in eo Samuelem peccasse sentiat: etsi enim mentiri, ut nunquam, etiam tùm cum nemini obesses d. aliis prodesse; ita imprimis cum proximum vel quemvis alium cum quo tibi res, quod contra Priscillianistas & alios notandum, fallere intendis, non licet, dissimulatio tamen rei magnæ, pia prudentia, & justam excusationem meretur: Quod B. *Gregorius* hanc Samuelis dissimulationem perpendens agnovit; Quid inquires, his verbis ostenditur, nisi quia Tyrannorum versutia atque sævitia, pia interdum fraude est deludenda: Præcepto namque Domini de armento vitulus tollitur, immolatio simulatur, & ad regiam unctionem pervenitur, quia dum nocere Tyranni cupiunt, objicienda sunt illis quædam quæ credant ut nocendi aditum non inveniant.

Minor quoq; ex jam dictis satis manifesta videtur: Quæ enim lex ad ea obligat Iudicem, ut omnia quæ scit omnibus relevet? Nulla sane; *Veracis enim officium non tantum est τὸ ἀληθεύειν, sed & τὸ μὴ ἀληθεύειν*: Neque veritas est dicenda ubivis simpliciter omni loco, tempore, absque nullo discrimine, d. prudentia ut in omni virtute, ita potissimum in hac est adhibenda. Non equidem difitemur difficile esse determinatu quantum sit concedendum prudentiæ in veritate reticenda ac legenda, fieri tamen potest, ut absque vitio prudenter aliquando non dicamus veritatem. *Præceptum enim affirmativum de veritate dicenda non obligat ad semper & ubique*. Nunquam aliquid veritati contrarium sive falsum sive mendacium est dicendum, at nec semper omne verum est dicendum, sed prout exigit ratio circumstantiarum bene expensarum.

Summa